

VIII. Fluxas opes contemnentem ac repudiantem.

IX. Abhorrentem a superbia et humilitati studentem.

X. Formam ac modum penitentie, ad exemplar Christi in olivarum orto cruciatus auspicantis.

XI. Voluptatum condemnationem, et christianam sensuum vexationem, ad aspectum Christi patientis.

XII. Perfectam christianam cum suo rege Christo spialis coronato similitudinem.

XIII. Animæ sensa et affectus super morte Christi.

XIV. Christiani fiduciam et consolationem ob crucis potentiam et gloriam.

XV. Hominis felicitatem, per vitam Christi exemplis et doctrina congruentem comparati ad sancte moriendum.

XVI. Christiani spem in Christi resurrectione, tanquam exemplo et causa tum animæ ad gratie vitam resurgentis tum corporis ad vitam immortalem excitandi.

XVII. Animæ statum caritatis vias ingressæ.

Hoc velut itinere deducitur homo ad Deum; hic ordo est verus meditationum, quemadmodum et sancti Ignatii germana methodo, in spiritualibus exercitiis tradi debent. Quod si quis vacuum a negotiis ad piam secessionem tempus non habeat, si ordinem tamen meditationum hunc sequi potest, qui ad christianam

perfectionem dux certissimus est; aut quas libebit meditationes deliquit, prout sua cuique pietas maxime sandebit.

Qui vero per dies aliquot vacare uni Deo sibi que stauerint, et hunc librum eam ob rem adhibere, varios indices reperient, et seriem multiplicem meditationum pluribus secessionibus idonearum: unde illam quam suo vite instituto ac moribus aptam iudicabunt, eligent.

Additus etiam est index rerum, in eorum gratiam qui sacra Biblia cognoscere diligentius cupiunt.

Si meditationes istæ videbantur aliquando prolixiores, id ex his sufficere decerpere quod satis erit ad pie meditationis implendum tempus. Sane verba sacerdotum litterarum ac sententiæ tanta luce animatum perfundunt, sic attollunt ad Deum, sic voluntatem accendunt, ita mentem feriunt ac percipiunt, ut pauca interdum ad luculentam meditationem sufficiant. Sed eo valebit hæc illarum amplitudo et copia, ut et sacre Scripturæ præiunxerit dignitasque fidelis intellegatur, et eam legendi meditandique cupiditas accendatur, opibus uberrimis, quas in hoc ditissimo thesauro Spiritus sanctus addidit, fusius explicatis (1).

(1) Qui textus Scripture plus semel intra unam meditationem usurpantur, si diverso characterè exusi sunt: ac primo dumtaxat loco sunt habent asteriscum qui in lecto unde sumpti sunt.

TRES MEDITATIONES DE PRINCIPIO RERUM OMNIUM ET FINE HOMINIS.

PRIMA MEDITATIO.

Deus creavit omnia.

PRIMUM PUNCTUM. — *Deus creavit mundum.*

SUMMARIUM. — *Creavit Deus universa, initio temporum et per seipsum, sine cuiusquam ope, singula sine tempore, omnia autem spatio sex dierum. Perfectissima. Ex nihilo, et stabilia.*

Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc (Isai. XL, 26).

Omnis domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est (Hebr. III, 4).

In principio creavit cælum et terram (Gen. I, 1, mare et fontes aquarum (Apoc. XIV, 7), et omnia que in eis sunt (Ezod. XX, 11). Fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cætos (Jer. LI, 15).

Quis adjovit spiritum Domini? aut quis consilia-

rius ejus fuit, et ostendit illi (Isai. XL, 15)? Cum quo inivit consilium (Ib., 14)? Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. XI, 36). Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Joan. I, 5).

Qui vivit in æternum creavit omnia simul (Ecl. XVII, 1): sex diebus (Ezod. XX, 11), et valde bona (Gen. I, 31). Omnia in mensura, et numero, et pondere (Sap. XI, 21). Non est minuire, neque adijcere, nec est intinere in magna Dei (Ecl. XVIII, 5). Cum consummaverit homo, tunc incipiet; et cum quieverit, aperiabitur (Ib., 6).

E nihilo fecit illa Deus, et hominum genus (I Mach. VII, 28): quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt (Ps. CXLVIII, 5). Statuit ea in æternum, et in seculum seculi: præceptum posuit, et non præteribit (Ib., 6).

Hic est Deus noster, et non estimabitur alius adversus eum (I Bar. III, 36). Dominus Deus virtutum,

quis similis tibi (Ps. LXXXVIII, 9)? Unus est altissimus creator omnipotens, et rex potens, et metuentius nimis (Ecl. I, 8).

Hic est Deus noster.

II PUNCTUM. — *Deus creavit primum hominem.*

SUMMARIUM. — *Deus creavit hominem similem sibi, cum multis dotibus naturæ et gratiæ, ut sibi servituri libere; quippe remunerandus aut puniendus a Deo, prout bene aut male egerit.*

Ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. I, 26). Formavit igitur Deus hominem de limo terre, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vite; et factus est homo in animam viventem (Gen. II, 7).

Creavit hominem inextremabilem (Sap. II, 25): et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum (Gen. II, 15). Secundum se vestivit illum virtute (Ecl. XVII, 2). Numerum dierum et tempus dedit illi, et dedit illi potestatem eorum que sunt super terram (Ib., 3). Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiis et volatilibus (Ib., 4). Creavit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis exequiendi, et disciplina intellectus replevit illos (Ib., 5). Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis (Ib., 6).

Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum (Ib., 7), ut nomen sanctificationis collaudent; et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus (Ib., 8). Addidit illis disciplinam, et legem vite hereditavit illos (Ib., 9). Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam et judicium sua ostendit illis (Ib., 10): et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis: Attendite ab omni iniquo (Ib., 11).

Ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui (Ecl. XV, 14): adjecit mandata et præcepta sua (Ib., 15). Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere (Ib., 16). Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrigere manum tuam (Ib., 17).

Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi (Ib., 18): quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione (Ib., 19). Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis (Ib., 20). Nemini mandavit impio agere, et nemini dedit spatium peccandi (Ib., 21): non enim concepiscit multitudinem filiorum infidelium et inutitium (Ib., 22). Non ergo regnet peccatum in mortali corpore (Rom. VI, 12). Non dixeris: Per Deum abest: que enim odit ne feceris (Ecl. XV, 11). Non dicas: Ille me implavit; non enim necessarii sunt ei homines impii (Ib., 12). Omne execra-

mentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum (Ib., 15).

III PUNCTUM. — *Deus creavit omnes homines.*

SUMMARIUM. — *Ex uno homine noti sunt ceteri ad eundem finem. Unusquisque hoc fruitur bono; beneficio creationis, conservationis, et potentie ad agendum. Atque illud sepe revocandum est in memoriam ut magnificetur Creator in omnibus.*

Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum (Act. XVII, 26), querere Deum, si forte attritum eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (Ib., 27): in ipso enim vivimus et movemur et sumus: sicut et quidam poetarum dixerunt: Ipsus et genus sumus (Ib., 28).

Hæc dicit Dominus faciens et formans te: ab utro auxiliator tuus (Isai. XLIV, 2): qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem (II Mac. VII, 25): qui finxit sigillatim corda eorum (Ps. XXXII, 15): et vocat ea que non sunt tanquam ea que sunt (Rom. IV, 17), portans omnia verbo virtutis sue (Hebr. I, 5): et omnia in ipso constant (Col. I, 17).

Hæc dicit: Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam (Job XXXVIII, 4). Sciebas tunc quod nasceris esses? et numerum dierum tuorum noveras (Ib., 21)? Præquam te formarem in utero, novi te (Jer. I, 5): in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans (Id. XXXI, 5). Vocavi te nomine tuo, meus es tu (Isai. XLIII, 1): apprehendi manum tuam et servavi te (Id. XLIII, 6)? servus meus es tu, quia in te glorior (Id. XLIX, 3). Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est (Id., XLI, 24), quia sine me nihil potestis facere (Joan. XV, 5). Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea (Jer. XVIII, 6). Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum (Isai. XLIII, 7). Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo (Id., XLII, 2).

Hæc dicit Dominus redemptor tuus et formator tuus ex utero (Id., XLIV, 24).

Quid ergo dicemus (Rom. VI, 1)?

Memento creatoris tui in diebus juventutis tue, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placeat (Ecl. XII, 1). Antequam (Ib., 6) revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum (Ib., 7).

Memento Creatoris tui (Isai. LIV, 5): quia dominabitur tui qui fecit te.

Memento creatoris tui. Quid habes quod non accepisti (I Cor. IV, 7)? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Bono animo redde gloriam Deo (Ecl. XXXV, 10): et super his omnibus benedicto Dominum qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis (Ib., XXXII, 17).

I tota anima tua time Dominum (*Ecclesi. VII, 31*): in omni virtute tua dilige eum qui te fecit (*Ibid., 52*).

IV PUNCTUM. — Deus creavit omnes homines propter semetipsum.

SUMMARUM. — Esse hominem et esse pro Deo idem est: quod ut bene intelligat homo et præset, Creatoris operam implorat.

Quis finis meus (*Job VI, 11*)? Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens (*Apoc. I, 8*). Ego primus et ego novissimus (*Isai. XLIV, 6*).

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas (*Ecclesi. XII, 8*) Deum time, et mandata eius observa: *Hoc est enim omnis homo* (*Ibid., 15*).

Deus noster (*Sap. XV, 1*), nosse te consummata in titia est: et scire iustitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis: *Hoc est enim omnis homo* (*Ibid., 5*).

Fili hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligis vanitatem et quaeris mendicium (*Ps. IV, 5*)? Scrivi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam aeternam: *Hoc est enim omnis homo* (*Rom. VI, 22*).

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: *Hoc est enim omnis homo* (*Sap. XIII, 1*).

Vani suat, ita ut sint inexcusabiles (*Rom. I, 20*): quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipienter eorum (*Ibid., 21*). Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (*Ibid., 22*). Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: et coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in secula (*Ibid., 25*).

Dicit Dominus: Non glorioret sapiens in sapientia sua, et non glorioret fortis in fortitudine sua et non glorioret dives in divitiis suis (*Jer. IX, 25*): sed in hoc glorioret, qui gloriatur, scire et nosse me: *Hoc est enim omnis homo* (*Ibid., 24*).

Initium sapientiae timor Domini: (*Ecclesi. I, 16*). Corona sapientiae timor Domini: *Hoc est enim omnis homo* (*Ibid., 22*).

Vir insipientis non cognoscat, et stultus non intelligat hæc (*Ps. CXI, 7*).

Quis sapiens, et custodiet hæc? et intelliget misericordias Domini (*Ps. CVI, 45*)?

Hen! Hen! Hen! Domine Deus: ecce tu fecisti caelum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extenso: non erit tibi difficile omne verbum (*Jer. XXXII, 17*). Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Ps. L, 12*).

Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabuntur iem terre (*Ps. CIII, 30*).

II MEDITATIO.

De gloria Creatoris.

PRIMUM PUNCTUM. — Admiratur homo creatorem suum.

SUMMARUM. — Admiratur eum extra se et in seipso.

Ausculat hæc, sta, et considera mirabilia Dei (*Job XXXVII, 14*). Nomen ejus, Admirabilis (*Isai. IX, 6*). Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero (*Job V, 9*), solus (*Ps. LXXI, 18*).

Considera.

Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Ps. XVIII, 2*). Dies diei eracrat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Ibid., 5*). Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Ibid., 4*). In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terra verba eorum (*Ibid., 5*). In sole posuit tabernaculum suum (*Ibid., 6*), nec est qui se abscondat a calore ejus (*Ibid., 7*). Præcepit soli et non oritur (*Job IX, 7*). Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur (*Ps. XCII, 4*): respicit terram, et facit eam tremere (*Ps. CIII, 52*).

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus (*Ps. XCI, 4*). Operuit caelos gloria ejus: et laudis ejus plena est terra (*Isai. III, 5*). Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea que facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (*Rom. I, 20*). Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti iustitiam in corde meo (*Ps. IV, 7*). Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime (*Ps. XCI, 2*): quia delectasti me, Domine, in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo (*Ibid., 5*). Quam magnificata sunt opera tua, Domine! in nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ (*Ibid., 6*).

Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponit erga eum cor tuum (*Job VII, 17*)? Imago et gloria Dei est (*I Cor. XI, 7*). Mirabilis facta est scientia tua ex me: non potero ad eam (*Ps. CXXXVIII, 6*). Confitebor tibi, quia terribiliter magnificas es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis (*Ibid., 14*). Anima autem mea exultabit in Domino: et delectabitur super salutari suo (*Ps. XXXIV, 9*). Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi (*Ibid., 10*)?

II PUNCTUM. — Excitat se cum creaturis ad benedicendum ei.

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt (*Apoc. IV, 11*).

Venite, adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster (*Ps. XCIV, 6, 7*).

Benedicite omnia opera Domini, Domino. Benedicite, Angeli Domini, Domino. Benedicite filii homi-

num Domino. Benedicite, sacerdotes Domini, Domino. Benedicite, servi Domini, Domino. Benedicite, sancti et humiles corde, Domino. Benedicite, omnes religiosi, Domino (*Dan. III, 57, 58, 82, 84, 85, 87, 90*). Reges terre, et omnes populi, principes et omnes iudices terræ, juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super caelum et terram (*Ps. CXLVIII, 11, 12, 15, 14*).

Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomen sancto ejus. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus (*Ps. CII, 1, 2*).

III PUNCTUM. — Agnoscit ejus dominium in omnibus creaturis.

SUMMARUM. — Divini domini ratio, universitas, excellentia.

Jubilat Deo omnis terra: servite Domino in letitia: introite in conspectu ejus in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Ps. XCIX, 2, 5*). Domini est terra et pleuitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo: quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum (*Ps. XXIII, 1 et 2*): ipse est mare, et ipse fecit illud (*Ps. XCIV, 5*).

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Tu dominaris potestati maris: tui sunt cæli, et tua est terra (*Ps. LXXXVIII, 9, 10, 12*): tu fecisti caelum et terram, et quidquid cæli ambitu continetur (*Ecclesi. XIII, 10*). Tuus est dies, et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem. Tu fecisti omnes terminos terræ: ætatem et ver, tu plasmasti ea (*Ps. LXXIII, 16, 17*). Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua (*Ps. CIII, 24*). Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, aique victoria: et tibi laus: cuncta enim que in cælo sunt, et in terra, tua sunt. Tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes: tuæ divitiæ, et tuæ est gloria. Tu dominaris omnium; in manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo et imperium omnium. Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi, et laudamus nomen tuum in cælym (*I Par. XXIX, 11, 12, 15*). Tua sunt omnia: et que de manu tua accepimus, dedimus tibi.

Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tua resistere voluntati (*Ecclesi. XIII, 9*).

Dominus omnium es (*Ibid., 11*): Dominus totius creature (*Judith IX, 17*): Dominus dominantium (*I Tim. VI, 15*): Dominus solus (*Isai. XXXVII, 20*). Sempiternus Dominus (*Id. XI, 28*).

Et dominatio tua in omni generatione et generationem (*Ps. CXLIV, 13*).

Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino (*Ps. CII, 22*).

III MEDITATIO. — De cognitione hominis petita ab ejus principio et fine per varios hujus notitiæ gradus.

PRIMUM. — Quis ego (*I ar. XXIX, 14*)?

Confiteatur homo se de se nihil esse.

Loquar ad Dominum, cum sicut pulvis et cinis (*Gen. XVIII, 27*)?

Substantia mea tanquam nihilum ante te (*Ps. XXXVIII, 6*): nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (*Gal. VI, 5*); quia ex nihilo nati sumus (*Sap. II, 2*).

SECUNDUS. — Quis ego?

Se esse a Deo quiddam est.

Ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis. Nescis opera Dei, qui fabricator est omnium (*Ecclesi. XI, 5*).

Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro (*Sap. VII, 1*). Gratia autem Dei sum id quod sum (*I Cor. XV, 10*): Domine, tu formasti me (*Ps. CXXXVIII, 5*). Manus tue fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu. Pelle et carnis vestisti me, ossibus et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum (*Job. X, 8, 11, 12*).

TERTIUS. — Quis ego?

Se esse Dei, et ad illi servandam.

Domini ego sum (*Isai. XLIV, 5*). O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus (*Ps. CXV, 16*). Domini sumus (*Rom. XIV, 8*): opus enim manuum ejus sunt universi (*Job XXXIV, 19*).

Reddite ergo quæ sunt Dei, Deo (*Math. XXII, 21*): quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in secula (*Rom. XI, 36*).

Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro. Adonai Domine, magnus es tu et preclarus in virtute tua, et quem sui erare nemo potest. Tibi servavit omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt (*Judith. XVI, 15, 16, 17*).

QUARTUS. — Quis ego?

Se tamen illi non servisse.

Imago et gloria Dei (*I Cor. XI, 7*).

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (*Thren. IV, 1*)? Ut jumentum factus sum apud te (*Ps. LXXXII, 2*): et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Ps. XLVIII, 15*).

Hæcne reddis Domino, stulte et insipientis? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui (*Deut. XXXII, 6, 18*). Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita (*Ps. LXVIII, 6*). Misere mei (*Marc. X, 48*).

QUINTUS — Quis ego?

Adeoque illi se tandem subijci debere.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (Ps. CX, 2). Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit in caelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis (Ps. CXXXIV, 6). Nonne Deo subjecta erit anima mea (Ps. LXI, 2)?

O homo, in quis es, qui respondens Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic (Rom. IX, 20)?

Vae qui contradicit factori suo (Isai. XLV, 3)!

Subditus esto Domino, et ora eum (Ps. XXXVI, 7).

CONCLUSIO MEDITATIONIS PER ORATIONEM AD DEUM CREATOREM.

Quod ut fiat, humiliter orat Deum.

Deus patrum meorum, et Domine misericordis, qui fecisti omnia verbo tuo et sapientia tua, constituisti hominem ut dominaretur creature quae a te facta est; noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae, homo infirmus,

et exigui temporis, et minor ad intellectum (Sap. IX, 1, 2, 4, 5).

Noli me reprobare (Ps. CXVIII, 94).

Tuus sum ego, saluum me fac.

Tuus sum ego, saluum me fac. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti: nec enim odians aliquid constituisti, aut fecisti (Sap. XI, 25).

Tuus sum ego. Conserva me, Domine: quoniam speravi in te (Ps. XV, 1). Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur (Sap. XI, 26).

Tuus sum ego. Parce mihi, nihil enim sunt dies mei (Job VII, 16). Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas (Sap. XI, 27).

Tuus sum ego. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recorderunt nominis tui (Isai. XXVI, 15).

Tuus sum ego. Deus meus es tu (Ps. XV, 2), omnium Dominus es (Sap. XII, 16).

Tuus sum ego, saluum me fac. Hoc uno tantum indigeo (Gen. XXXIII, 15).

DUAE MEDITATIONES DE MEDIIS NATURALIBUS

AD FINEM HOMINIS.

PRIMA MEDITATIO.

De fine creaturarum.

PRIMUM PUNCTUM. — Deus creavit omnia pro homine.

SCHMARUM. — *Homini gloria ex domino quod illi dedit Deus in omnes creaturas. Eiusdem felicitas ex continua benedictione Dei quam dat omnibus, etiam animalibus, propter hominem.*

Domino Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quid est homo, quod memor es ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi; volucres caeli et pisces maris, qui perambulabant semitas maris. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (Ps. VIII, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10)!

Caelum caeli Domino: terram autem dedit filiis hominum (Ps. CXLIII, 16). Et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animalibus (Gen. I, 28). Terror vestris ac tremor sit super cuncta animalia terrae, et super omnes volucres caeli, cum universis quae moventur super terram (Id., IX, 2). Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent (Id., VIII, 22). Dominamini.

Domine Deus omnium Creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus bonus es Rex (II Mac.

I, 24). Quid est homo, quia magnificas eum (Job. VII, 17)? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum (Id., I, 10)? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra?

Exultabo te, Deus meus Rex (Ps. CXLIV, 1): per singulos dies benedicam tibi (Ib., 2). Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt (Ib., 4). Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt (Ib., 7). Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur (Ib., 11): et notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiae regni tui (Ib., 12). Regnum tuum, regnum omnium saeculorum: et dominatio tua in omni generatione et generationem (Ib., 15). Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno (Ib., 15). Aperis tu manum tuam: et implet omne animal benedictione (Ib., 16). Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore (Ps. CII, 27). Danie te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate (Ib., 28). Benedicite, filii hominum, Domino (Dan. III, 82).

Præcitate Domino in confessione (Ps. CXLVI, 7), omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum quoniam ipsi cura est de vobis (I Petr. V, 7).

Præcitate Domino in confessione, cui cura est de omnibus (Sap. XI, 12); non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus (Id., VI, 8).

Præcitate Domino in confessione, qui solem suum

ori facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (Math. V, 45); qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum (Ps. CXLVI, 8); qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum (Ib., 9).

Homines et jumenta salvabis, Domine (Ps. XXXV, 7): quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus (Ib., 8).

Numquid de bobus cura est Deo (I Cor. IX, 9)? An propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt (Id., 10).

Dominus regit me, et nihil mihi deerit (Ps. XXII, 4).

II PUNCTUM. — *Homo debet referre omnia ad gloriam Dei.*

Prima ratio. Dei ordinatio qua se homo sanctificet et illi serviet. — Et nunc, quid Dominus tuus petit a te, nisi ut times Dominum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua (Deut. X, 12): custodiasque mandata Domini tui (Ib., 13). Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis (Ephes. V, 15): non quasi insipientes, sed ut sapientes (Ib., 16): nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei (Ib., 17). Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra (I Thea. IV, 5). Omnia vestra sunt (I Cor. III, 22): vos autem Christi (Ib., 15). Christus autem Dei: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus (Prov. XVI, 4).*

Secunda ratio. Excellentia Creatoris supra creaturas. — *Universa propter semetipsum operatus est Dominus: quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciunt quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit (Sap. XII, 5). Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam quia haec fecit, fortior est illis (Ib., 4).*

Creatoris perducendus est homo ad cognitionem Dei. — A magnitudine enim speciei et creaturae, cognoscibiliter poterit creator horum videri (Ib., 5): etenim, cum in operibus illius conversentur, inquirent, et persuasum habent quoniam bona sunt quae videntur (Ib., 7). Nec his debet ignosci (Ib., 8); si enim tantum poterunt scire, ut possent aestimare saeculum: quomodo hujus Domini non facilius inveniunt (Ib., 9)?

Creaturarum amor improbus privat hominem Dei cognitione. — Dixerunt (Sap. II, 1): Venite ergo, et fruemur bonis quae sunt, et utamur creatura, tanquam in juventute cerebri (Ib., 6): quoniam haec est pars nostra et haec est sors (Ib., 9). Haec cogitaverunt, et erraverunt: excecit enim illos malitia eorum (Ib., 21); et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum (Ib., 22); effugerunt autem Dei laudem et benedictionem ejus (Id., XV, 19).

Salva tamen manet Dei gloria, quam reparat per suam justitiam. — Et non effugiet (I Thea. V, 5);

universa propter semetipsum operatus est Dominus: in ipso quoque ad diem malum (Prov. XVI, 4).

Tertia ratio. Necessitas ut cuncta redeant ad suum principium. — Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur (Eccle. I, 5). Ad locum unde exierunt flumina revertuntur (Ib., 7). Omnia de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur (Id., III, 20). Spiritus reat ad Deum, qui dedit illum (Id., XII, 7). Honora Dominum de tua substantia: *Universa propter semetipsum operatus est (Prov. III, 9). Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula (Rom. XI, 36), qui est principium creature (Apoc. III, 14), principium et finis (Id., I, 8).*

Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

III PUNCTUM. — *Ad gloriam Dei omnia indifferenter cooperantur homini.*

SCHMARUM. — *Cuncta quae fecit Deus sunt bona homini, etiam quae sunt invicem contraria, non impio sed justo qui cuncta refert ad Deum.*

Universa propter semetipsum operatus est Dominus: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis (Eccle. VIII, 4)? Aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem (Job XXXVI, 25)? quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum (I Tim. IV, 4).

Universa propter semetipsum operatus est Dominus; universa, bona valde (Eccle. XXXIX, 21). Omnia opera Domini bona, et omne opus hora sua subministrabit (Ib., 59). Non est dicere: Ille illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobantur (Ib., 40). Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini (Ib., 41).

Benedicite, omnia opera Domini, Domino (Dan. III, 57). Benedicite omnis imber et ros Domino (Ib., 64). Benedicite frigus et aestus Domino (Ib., 67). Benedicite reses et primum Domino (Ib., 68). Benedicite noctes et dies Domino (Ib., 71). Benedicite lux et tenebra Domino (Ib., 72). Benedicite fulgura et nubes Domino (Ib., 75). Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quae faciunt verbum ejus (Ps. CXLVIII, 8). Montes et omnes colles: ligna fructifera et omnes cedri (Ib., 9): serpentes et volucres pennatae (Ib., 10): reges terrae et omnes populi (Ib., 11), laudent nomen Domini (Ib., 12).

Haec omnia sanctis in bona; sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur (Eccle. XXXIX, 32).

In die bona frueri bonis, et malam diem praevae: sicut enim haec, et illam fecit Deus: et non inveniat homo contra eam justas querimoniae (Eccle. VIII, 15). Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum (Rom. VIII, 28).

Qui custodit praeceptum, non experietur quidquam mali (Eccle. VIII, 9). Dicite justo quoniam bona (Isai. III, 10).

II MEDITATIO.

De usu creaturarum.

PRIMUM PUNCTUM. — *De usu praeterito.*

SCHMARUM. — *Agnoscit homo miseriam suam in afflictibus malis, quibus adhaerit creaturis, secundum*

sive bona animi, sive bona corporis, et quae va'go fortuna nuncupantur; eandemque damnat, detestatur, et rejicit in posterum.

Vanitas vanitatum et omnia vanitas (Eccle. I, 2). Quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole (Ibid., 3)? Vidi cuncta quae sunt tal sole: et ecce universa vanitas et afflictio spiritus (Ibid., 14).

Proposui in animo meo querere et investigare sapienter de omnibus (Ibid., 15). Cuncta tentavi in sapientia; dixi: Sapienter efficiat: et ipsa longius recessit a me (Id., VII, 24), multo magis quam erat (Ibid., 25). Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae sunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniat (Id., VIII, 17). Etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum (Id., I, 15): eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio: et qui addit scientiam, addit et laborem (Ibid., 18). Et dixi in corde meo: Si unus et stultus et meus oculus erit: quid mihi prodest, quod majorem sapientiae dedi operam (Id., II, 15)?

Dixi ergo in corde meo: Vadam, et affluentiam delicias et fruar bonis (Ibid., 1). Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Magnificavi opera mea, edificavi mihi domos, et plantavi vineas (Ibid., 4): feci hortos et ponaria, et conseci ea cuncti generis arboribus (Ibid., 5): et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem servos signorum germinantium (Ibid., 6): possedi vineas et ancillas, multaque familiae habui (Ibid., 7): concervavi mihi argentum et aurum et substantias regum ac provinciarum: feci mihi cum oves et cantatrices, delicias filiorum hominum, scyphos et ureces in ministerio ad vina fundenda (Ibid., 8). Omnia quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quoniam omni voluptate frueretur (Ibid., 10). Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis (Ibid., 2)?

Idcirco ledit me vitae meae, videntem mala universa esse sub sole, et emeta vanitatem et afflictionem spiritus (Ibid., 17). Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quae sub sole studiosissime laboravi (Ibid., 18): unde cessavi, renuntiautique cor meum ultra laborare (Ibid., 20).

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium (Ps. IV, 3)? quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est (Rom. VI, 21)?

II PUNCTUM. — De usu praesentis creaturarum.

SUMMARY. — In illis omnibus quaerit Deum homo, et illi adheret: sine illo nihil prodesse statuit tanquam certum; cor suum et omnes actiones dirigit ad eius gloriam; utitur mundo tanquam si non utatur; quod pure sufficit ad vitam, hoc manet contentus.

Beatum dixerunt populum cui haec sunt (Psalm.

CXLIII, 15). Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. (Ps. LXXII, 20).

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (Ibid., 24). Quia enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram (Ibid., 25)? Defecit caro mea et cor meum (Ibid., 26). Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Quia ecce qui elongant a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te (Ibid., 27). Mihi autem adherere Deo hominum est: ponere in Domino Deo spem meam (Ibid., 28).

Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (Math. XVI, 26). Nonne anima plus est quam esca (Id., VI, 25)?

Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt (I Joan. II, 15): et subditus fiat omnis mundus Deo (Rom. III, 19). Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (I Cor. X, 31). Omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum (Col. III, 17).

Et mundus transit et concupiscentia ejus (I Joan. II, 17). Tempus breve est: reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint (I Cor. VII, 29): et qui flect, tanquam non flectentes: et qui gaudent, tanquam non gaudentes: et qui emunt, tanquam non possidentes (Ibid., 50): et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi (Ibid., 51).

Et autem quæstus magnus pietas cum sufficientia (I Tim. VI, 6): nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possimus (Ibid., 7). Habentes autem alimenta et quibus tegimur, his contenti sumus (Ibid., 8). Multa bona habebimus si timerimus Deum et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene (Tob. IV, 25). Quarite ergo primum regnum Dei et iustitiam ejus, et haec omnia adiecentur vobis (Matth. VI, 33).

Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos (Gal. VI, 16).

III PUNCTUM. — De futuro usu creaturarum.

SUMMARY. — Seipsum tradit homo arbitrio divinae voluntatis, et statuit cor suum in perfecta indifferetia ad omnes eventus; unde se firmat in voluntate adherendi Deo suo fini.

Ego autem in te speravi, Domine (Ps. XXX, 15). Dixi: Deus meus es tu; et in manibus tuis sortes meae (Ibid., 16).

Dominus est: quod bonum est in oculis suis, facit (I Reg. III, 18).

O homo, tu quis es, qui respondeas Deo (Rom. IX, 20)? Nunquid dicit figmentum ei qui se fixit: Quid me fecisti sic (Ibid., 21)? An non habet potestatem signus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Nunquid sic

ut signus iste, non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus (Jer. XXIII, 6)? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.

Vae qui contradicit factori suo (Isai. XLV, 9).

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum (Ps. CVII, 2). Scio et humiliari, scio et abundare; et satiari, et esurire; et abundare, et penuriam pati (Philip. IV, 12). Omnia possum in eo qui me confortat (Ibid., 15), per arma iustitiae, a dextris et a sinistris (II Cor. VI, 7); per gloriam et ignobilitatem;

per infamiam et bonam famam (Ibid., 8).

Quis ergo non separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius (Rom. VIII, 35)? certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo (Ibid., 38), neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei (Ibid., 39).

QUATUOR MEDITATIONES

DE MEDIIS SUPERNATURALIBUS AD FINEM HOMINIS.

PRIMA MEDITATIO.

De vocatione ad fidem.

PRIMUM PUNCTUM. — Hujus vocationis necessitas ad salutem.

Inmutabilis necessitas fidei et baptismi. — Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit (H. br. XI, 6). Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (Marc. XVI, 16). Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei (Joan. III, 5). Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Ibid., 5). Gratia Dei, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro (Rom. VI, 23). Et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri (Act. IV, 12).

II PUNCTUM. — Tantae vocationis excellentia

SUMMARY. — Hujus vocationis excellentia petitur ex statu hominis, qui fit per baptismum nova creatura, filius Dei, homo spiritualis et caelestis, et alter Christus. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis (I Pet. I, 3), in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem (Ibid., 4).

Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus iulium aliquod creaturae ejus (Jac. I, 1); in Christo nova creatura (II Cor. V, 17); ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae preparavit Deus, ut in illis ambulemus (Ephes., II, 10).

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (Joan. I, 12), qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (Ibid., 15). Ut filii Dei nominemur et simus (I Joan. III, 1): omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem, donata sunt, per cognitionem ejus, qui

vocavit nos propria gloria et virtute (II Pet. I, 5): per quem maxima et pretiosior nobis promissa donavit: ut per hanc efficiamini divinis consortes naturae: fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem (Ibid., 4).

Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est (Joan. III, 6). Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de caelo, caelestis (I Cor. XV, 47). Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis caelestis, tales et caelestes (Ibid., 4). Igilur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis (Ibid., 49).

Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal. III, 27). An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (Rom. VI, 5)? conspulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus (Ibid., 4).

Christo confluxus suae cruci (Gal. II, 19). Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (Ibid., 20).

III PUNCTUM. — Dona quae complectitur haec suavia vocatio.

SUMMARY. — Nihil desit christiano; in ejus enim vocatione reperuntur: Ortus in Ecclesia, baptismus et pia educatio, post peccatum patientia, protectio Dei per gratiam in tentationibus et tempore mortis, consolatio ex meritis crucis Christi, sacramentum eucharistiae, pariterque confirmatio et extremae unctionis, gaudium in tribulationibus, securus fiducia in divinum misericordiam pro omnibus ejus gratis habentibus, spes vitae aeternae.

Christus suscepit vos in honorem Dei (Rom. XV, 7). In omnibus divites facti esis in illo (I Cor. I, 5), ita ut nihil vobis desit in ulla gratia (Ibid., 7). Sicut pastor gregem suum pascat (Isai. XL).

Sit nomen Domini benedictum (Ps. CXII, 2) Dominus regit me, et nihil mihi deerit (Ps. CXII, 1).

In loco pascue tibi me collocavit.
Super aquam refectiois educavit me (Ps. XXII, 2)
Animam meam convertit: deduxit me super semitas
justitiae propter nomen suum (Ib., 5).
Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non
timebo mala: quoniam tu mecum es.
Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt
(Ib., 4).
Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos
qui tribulant me.
Impinguasti in oleo caput meum:
Et calix meus inebrians quam præclarus est (Ib., 5) !
Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus
vitæ meæ:
Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem
dierum (Ib., 6).

II MEDITATIO.

De officio hominis christiani.

PRIMUM OFFICIUM. — Christianæ vocationis digna aestimatio.

SUMMARIUM. — Hujus estimationis regula est amor Dei tantus, quantum erga nos potuit esse.

Ecclesie Dei, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco (I Cor. I, 2). Grata vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo (Ib., 5).
Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (I Petr. II, 9).

Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus (I Joan. III, 1).
Videte qualem charitatem. Si filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi (Rom., VIII, 17).
Videte qualem charitatem. Quoniam quod est honoris, gloria: et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requisivit (I Petr. IV, 14).

Videte qualem charitatem. Non fecit taliter omnium nationum et iudicia sua non manifestavit eis (Ps. CXLVII, 20).
II OFFICIUM. — Gratiarum actio.

SUMMARIUM. — Qui fruuntur beneficio redemptionis Christi, gratos ei debent se præbere.

Contentimini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus (Ps. CVI, 1).
Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos (Ib., 2). A solis ortu et occasu; ab aquilone et mari (Ib., 5).
Contententur Domino misericordie ejus; et miraabilia ejus filiis hominum (Ib., 8): quia satiavit animam inaneam; et animam esurientem satiavit bonis (Ib., 9).

Elixavit eos de tenebris, et umbra mortis: et virgule eorum dirigit (Ib., 14). Confiteantur Domino misericordie ejus: et mirabilia ejus filiis hominum (Ib., 1).
Misi verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum (Ib., 20). Confiteantur Domino misericordie ejus; et mirabilia ejus filiis hominum (Ib., 21).
Dicant qui redempti sunt a Domino. Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione (Apoc. V, 9): et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes: et regnabimus super terram (Ib., 10).
Regnabimus, gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in pariem sortis sanctorum in lumine (Col. I, 12); qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ (Ib., 13).

III OFFICIUM. — Servitus qua subijcitur Christo.

SUMMARIUM. — Christianus non est servus, sed Christi, ut ejus servus, titulo emptionis cuius pretium ejus sanguis.
Omnia vestra sunt (I Cor. III, 22, 23): vos autem Christi (Ephes., VI, 6): ut servi Christi (I Cor., VI, 19): et non estis vestri (Ib., 20): empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro; qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi (Id., VII, 22).
Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum (Ib., 23): scientes quod non corruptibilibus sivo vel argenteo redempti estis de vana vestra conversatione patrum traditionis (I Petr. I, 18): sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, Christi (Ib., 19).
Peccata nostra ipse pertulit super lignum (Id., II, 24): delens quod adversus nos erat chirurgographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci (Col. II, 14): et expulsi sunt principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (Ib., 15).

IV OFFICIUM. — Vita Christo debita
Hujus officii ratio et praxis.
Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur (Rom. XIV, 7). Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus (Ib., 8); in hoc enim. Christus mortuus est et resurrexit: ut et mortuorum et vivorum dominetur (Ib., 9).
Domino Christo servite (Col. III, 24); qui debet semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem honorum operum (Tit. II, 14).
Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite (I Cor. X, 31): omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et patri per ipsum (Col. III, 17).

V OFFICIUM. — Vita Jesu Christo digna.

SUMMARIUM. — Duo principia hujus vite, quæ est insociabilis peccato et mundo.

Digne Evangelio Christi conversamini (Philip. I, 27).
In ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu (Ephes. IV, 21), depone re vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris (Ib., 22). Renovamini autem spiritu mentis vestræ (Ib., 25), et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitatis (Ib., 24).
Existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino vestro (Rom. VI, 11). Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus (Ib., 12).
Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo (I Joan. II, 15).
Christus vobis nihil proderit (Gal. V, 2): evacuati estis a Christo: a gratia excidistis (Ib., 4).
Que enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut que societas luci ad tenebras (II Cor. VI, 14)? Que autem conventio Christi ad Belial? Aut que pars fidei cum infidelis (Ib., 15)? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi (Ib., 16). Non potestis calicem Domini bibere, et calicem demoniorum (I Cor. X, 20); non potestis mensam Domini participare esse, et mensam demoniorum (Ib., 21). Nolite ergo effici participes eorum (Ephes. V, 7).

III MEDITATIO.
De circumstantiis singularis beneficii quo vocati sumus ad fidem.

PRIMA CIRCUMSTANTIA.
SUMMARIUM. — Hoc beneficium est a solo Deo. A parentibus peccatum habens, fidem autem a Deo.
In fide vero Filii Dei (Gal. II, 20). Et unde hoc mihi (Luc. I, 45)? Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (Joan. I, 15); ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Ps. I, 7).
Gratia Dei sum id quod sum (I Cor. XV, 10).
Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio (Jac. I, 17). Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creature ejus (Ib., 18).

II CIRCUMSTANTIA.
SUMMARIUM. — Nec fuit hoc beneficium, nec est, nec erit pro infinis propemodum hominibus extra christianam societatem. Sola Dei gratia discernit hac in re homines. Infelicitas popularum qui privantur lumine fidei, nec ad hoc electi sunt a Deo: electi vero populi christiani felicitas, qua fruor potius quam multi alii.
In fide vero Filii Dei, et unde hoc mihi, ut liberer ab infidelibus (Rom. XV, 31), de gente non sancta (Ps. XLII, 1), segregatus in Evangelium

Dei (Rom. I, 1)? Quis te discernit? Gratia Dei sum id quod sum (I Cor. IV, 7). Placeat ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam (Gal. I, 15). Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis (Ps. CXLVII, 20).
Beata gens cuius est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem (Ps. XXXII, 12).
Vas genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis (Isai. I, 4). Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethiæ (Ezech. XVI, 5); et quando nata es in die ortus tui, aqua non es lota in salutem (Ibid., 4).
Alienati sunt peccatores a valva, erraverunt ab utero (Ps. LVI, 4): perierunt, quasi qui non fuerint; et nati sunt, quasi non nati (Ezech. XLIV, 9). Videntes turbantur timore horribili, et mirantur in subitatione insperatæ salutis (Sap. V, 2), dicentes (Ibid., 5): Justitiam lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis (Ibid., 6).
Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt; propterea perierunt (Bar. III, 27).
Beata gens cuius est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem. Populus sanctus es Domino Deo tuo, et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, que sunt super terram (Deut. XIV, 2).
Non hos elegit Dominus; elegit me potius. Iudicia sua non manifestavit eis (II Reg. VI, 21). Mysterium quod absconditum fuit a seculis et generationibus, nunc manifestatum est sanctis ejus (Col. I, 26), quibus voluit Deus nos facere divitiis gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus (Ibid., 27).
Non hos elegit Dominus, elegit me potius.
Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri (Ps. LXXXVIII, 19).

III CIRCUMSTANTIA.
SUMMARIUM. — Nec est hoc beneficium, nec fuit, nec erit pro multis aliis hominibus, etiam in christiana societate. Necessitas baptismi, cuius gratia alii privantur etiam inter christianos alii vero fruuntur, ex speciali Dei misericordia.
In fide vero Filii Dei: et unde hoc mihi?
Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. III, 5). Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesie, quia non est aqua lustrationis aspersus (Num. XIX, 20).
Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii (Job. III, 11)? non subsisterem, sicut qui concepti non viderunt lucem (Ibid., 16), lucem miserationum (Ezech. XXXVI, 1).
Dei donum est. Non hos elegit Dominus: elegit me potius (Ezech. III, 15).
Hec dicit Dominus, redemptor tuus, et formator tuus ex utero (Isai. XLIV, 24): Servus meus es tu, elegi te, et non obijci te (Id., XLI, 9). Ego Deum tuum: confortavi te, et auxiliatus sum tibi (Ibid., 10).

IV CIRCUMSTANTIA.
SUMMARIUM. — Nec fuit hoc beneficium, nec est, nec erit pro infinitis propemodum hominibus extra christianam societatem. Sola Dei gratia discernit hac in re homines. Infelicitas popularum qui privantur lumine fidei, nec ad hoc electi sunt a Deo: electi vero populi christiani felicitas, qua fruor potius quam multi alii.
In fide vero Filii Dei, et unde hoc mihi, ut liberer ab infidelibus (Rom. XV, 31), de gente non sancta (Ps. XLII, 1), segregatus in Evangelium

Dei (Rom. I, 1)? Quis te discernit? Gratia Dei sum id quod sum (I Cor. IV, 7). Placeat ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam (Gal. I, 15). Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis (Ps. CXLVII, 20).
Beata gens cuius est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem (Ps. XXXII, 12).
Vas genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis (Isai. I, 4). Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethiæ (Ezech. XVI, 5); et quando nata es in die ortus tui, aqua non es lota in salutem (Ibid., 4).
Alienati sunt peccatores a valva, erraverunt ab utero (Ps. LVI, 4): perierunt, quasi qui non fuerint; et nati sunt, quasi non nati (Ezech. XLIV, 9). Videntes turbantur timore horribili, et mirantur in subitatione insperatæ salutis (Sap. V, 2), dicentes (Ibid., 5): Justitiam lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis (Ibid., 6).
Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt; propterea perierunt (Bar. III, 27).
Beata gens cuius est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem. Populus sanctus es Domino Deo tuo, et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, que sunt super terram (Deut. XIV, 2).
Non hos elegit Dominus; elegit me potius. Iudicia sua non manifestavit eis (II Reg. VI, 21). Mysterium quod absconditum fuit a seculis et generationibus, nunc manifestatum est sanctis ejus (Col. I, 26), quibus voluit Deus nos facere divitiis gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus (Ibid., 27).
Non hos elegit Dominus, elegit me potius.
Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri (Ps. LXXXVIII, 19).

III CIRCUMSTANTIA.
SUMMARIUM. — Nec est hoc beneficium, nec fuit, nec erit pro multis aliis hominibus, etiam in christiana societate. Necessitas baptismi, cuius gratia alii privantur etiam inter christianos alii vero fruuntur, ex speciali Dei misericordia.
In fide vero Filii Dei: et unde hoc mihi?
Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. III, 5). Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesie, quia non est aqua lustrationis aspersus (Num. XIX, 20).
Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii (Job. III, 11)? non subsisterem, sicut qui concepti non viderunt lucem (Ibid., 16), lucem miserationum (Ezech. XXXVI, 1).
Dei donum est. Non hos elegit Dominus: elegit me potius (Ezech. III, 15).
Hec dicit Dominus, redemptor tuus, et formator tuus ex utero (Isai. XLIV, 24): Servus meus es tu, elegi te, et non obijci te (Id., XLI, 9). Ego Deum tuum: confortavi te, et auxiliatus sum tibi (Ibid., 10).

IV CIRCUMSTANTIA.
SUMMARIUM. — Nec fuit hoc beneficium, nec est, nec erit pro infinitis propemodum hominibus extra christianam societatem. Sola Dei gratia discernit hac in re homines. Infelicitas popularum qui privantur lumine fidei, nec ad hoc electi sunt a Deo: electi vero populi christiani felicitas, qua fruor potius quam multi alii.
In fide vero Filii Dei, et unde hoc mihi, ut liberer ab infidelibus (Rom. XV, 31), de gente non sancta (Ps. XLII, 1), segregatus in Evangelium

Apprehendi manum tuam et servavi te (*Isai. XLIII, 6*), Ingressus sum p. eum tecum (*Ezech. XVI, 8*), et lavi te aqua, et unxi te oleo (*Ibid., 9*). Servus meus es tu, quia in te glorior (*Isai. XLIX, 5*).

IV CIRCUMSTANTIA.

SUMMARIIUM. — *Nihil ex parte hominis movit Deum ad hanc gratiam aut largiendam, aut non largiendam.*

In fide vivo Filii Dei: et unde hoc mihi? Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis; sed quibus datum est (*Math., XIX, 11*): cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) (*Rom. IX, 11*): non ex operibus, sed ex vocante (*Ibid., 12*). Non ex operibus: ut ne quis gloriatur (*Ephes. II, 9*): non ex operibus iustitiae quae fecimus; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti (*Tit. III, 5*), quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum (*Ibid., 6*): ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae (*Ibid., 7*).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

SUMMARIIUM. — *Actio gratiarum ad Deum auctorem beneficii tam singularis.*

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus, in Christo (*Eph. I, 5*): sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius, in charitate (*Ibid., 4*). *Benedixit Deus:* qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suae (*Ibid., 5*), in tandem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo (*Ibid., 6*).

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo: ut ostenderet abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu (*Id., II, 7*); gratia enim estis salvati per fidem: et hoc non ex vobis; *Dei enim donum est* (*Ibid., 8*).

Et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum (*Sup. VIII, 21*), fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima (*Id., III, 14*). Gratias Deo super inenarrabili dono eius (*I Cor. XI, 15*): et particula boni doni non te praeterat (*Ecclesi. XIV, 14*).

IV MEDITATIO.

De memoria vocationis ad fidem, pro variis usibus.

PRIMUS USUS. — *Doctrinam christianam retine.*

Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi (*Ps. CXV, 2*)?

Permane in his quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris (*II Tim. III, 14*), et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem quae est in Christo Jesu (*Ibid., 15*). Deposito custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae (*I Tim. VI, 20*), quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt (*Ibid., 21*).

Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et patrem et filium habet (*II Joan. I, 9*). Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non afferit, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis (*Ibid., 10*): qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis (*Ibid., 11*).

SECUNDUS USUS. — *Vita innocentiam conserva.*

Quid retribuam pro omnibus quae retribuit mihi?

Custodi innocentiam (*Ps. XXXVI, 57*): bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis (*II Tim. I, 14*): optimum est enim gratia stabilire cor (*Hebr. XII, 9*). Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua (*Ecclesi. IX, 7*); omni tempore sint vestimenta tua candida (*Ibid., 8*). Beatus qui vigilat, et custodit vestimentum suum, ne nudus ambulet, et videat turpitudinem ejus (*Apoc. XVI, 15*).

Custodi innocentiam; sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veritatem (*Ecclesi. XI, 21*). Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo (*Ibid., 22*).

Cogroscce iustitias et iudicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei (*Id. XVII, 24*). In partes vade seculi saeculi, cum vivis et dantibus confessionem Deo (*Ibid., 25*).

TERTIUS USUS. — *Post peccatum poenitentiam age.*

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?

Peccasti? non adiecas iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur (*Ecclesi. XXI, 2*).

Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Eph. V, 14*): quicquam enim in Christo baptizati estis, Christum indistis (*Gal. III, 27*). Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus (*Rom. XIII, 11*). Nos praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis (*Ibid., 12*). Sicut in die honeste ambulemus, non in commensationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contumelia et amulatione (*Ibid., 15*): sed induamus Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis (*Ibid., 14*): quoniam vincler est Dominus deus in omnibus (*I Thess. IV, 6*); non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem (*Ibid., 7*).

Memor esto itaque unde excederis, et age poenitentiam et prima opera fac (*Apoc. II, 5*).

QUARTUS USUS. — *Promissa baptismi adimple.*

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?

Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum (*Dent. IV, 23*). Facies sicut promissisti Domino Deo tuo (*Id., XXIII, 23*). Celebras festivitates tuas, et redde vota tua: quia non adiecit ultra ut pertranseat in te Belial: universus interit (*Nahum I, 15*).

225
QUESTUS USUS. — *Eadem renova promissa per singulos annos.*

Ecce solemnitas Domini est anniversaria (*Judic. XXI, 19*).

Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambulabis in viis ejus et custodias ceremonias illius, et mandata atque iudicia, et obediatis ejus imperio (*Deut. XXVI, 17*): et Dominus elegit te hodie, ut sis ei (*Ibid., 18*).

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi (*Ps. CXV, 12*)? Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus (*Ibid., 14*).

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae (*Ibid., 16*). Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae (*Ps. XXI, 10*). In te projectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu (*Ibid., 11*). Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum (*Ibid., 26*), et anima mea illi vivet (*Ibid., 31*).

Formula hujus renovationis. — O Domine ego servus tuus et filius ancillae tuae. Christianus (*I Petr. IV, 16*), discipulus Jesu (*Math. XXVII, 57*), miles Christi (*II Tim. II, 3*), servus Jesu Christi (*Rom. I, 1*), Juravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae (*Ps. CXVIII, 105*).

Dominum Deum meum adoro (*Dan. XIV, 21*). Credidi (*Ps. CXV, 10*). Speravi (*Ps. XXX, 2*). Dilexi (*Ps. CXIV, 1*).

In tribus placuit esse spiritui meo (*Ecclesi. XXV, 1*). Juravi et statui servire Deo vivo et vero (*I Thes. I, 9*), et expectare filium ejus de caelis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura (*Ibid.,*

10). Testor coram Deo, et Christo Jesu et electis angelis (*I Tim. V, 21*).

Vade, Satana (*Math. IV, 10*), spiritus immunde (*Marc. V, 8*). Tu nosti servitium quae servi tibi (*Gen. XXX, 26*): Dimitte me, ut revertar in patriam et ad terram meam (*Ibid., 25*), ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem. Dimitte me (*Heb. XII, 22*): imperet tibi Dominus, et anima mea illi vivet. Vade, Satana (*Juda X, 9*), in nomine Domini (*III Reg. XXII, 16*), in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Math. XXVIII, 19*). Quid mihi et tibi (*Marc. V, 7*)? Ego sum Christi: et anima mea illi vivet. (*I Cor. I, 12*)

Ego non sum de mundo (*Joan. XVII, 14*): renuntiavi cor meum (*Ecclesi. II, 20*). Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal. VI, 14*). Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae (*I Joan. II, 16*). Haec arbitratus sum detrimenta (*Philipp. III, 7*): verumtamen existimo propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificarem (*Ibid., 8*), et inveniar in illo (*Ibid., 9*). Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio filii ejus (*Rom. I, 9*).

Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas a me (*Ps. XXXIX, 12*). Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis (*Ps. LXVII, 29*): custodi animam meam quoniam sanctus sum; salvum fac servum tuam, Deus meus, sperantem in te (*Ps. LXXXV, 2*). In te Domine speravi, non confundar in aeternum (*Ps. XXX, 2*): scio enim eum qui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare (*II Tim. I, 12*).

TRES MEDITATIONES DE SACERDOTIO.

PRIMA MEDITATIO.

De sacerdotii dignitate.

PRIMUM PUNCTUM. — *Christus instituit sacerdotes.*

SUMMARIIUM. — *In hac sacerdotii institutione, dignitas ejus petitur ex vocatione nobilitate, ex potestate docendi et baptizandi, tum remittendi retinendique peccata, ac praesertim sacrificandi corpus et sanguinem Christi, et ex ipsius divina persona quam sustinent sacerdotes in omnibus his functionibus.*

Vos estis sal terrae (*Math. V, 13*): vos estis lux mundi (*Ibid., 14*), fratres mei (*Luc. VIII, 21*), amici mei (*Joan. XV, 14*), piscatores hominum (*Math. IV, 19*), genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (*I Petr. II, 9*). Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Ps. LXXXI, 6*). Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos (*Joan. XV, 9*): vos dixi amicos; quia omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis (*Ibid., 15*). Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (*Luc.*

VIII, 10). Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan. XV, 16*). Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (*Hebr. V, 4*).

Datum est mihi omnis potestas in caelo et in terra (*Math. XXVIII, 18*). Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Ibid., 19*). Euntes in mundum universum, predicante Evangelium omni creaturae (*Marc. XVI, 15*). Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (*Ibid., 16*).

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Joan. XX, 21*). Accipite Spiritum sanctum (*Ibid., 22*). Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt (*Ibid., 23*).

Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Id., VI, 56*). Venite, comedite panem meum (*Prov. IX, 5*). Accipite, et manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem (*I Cor. XI, 24*). Bibite vinum quod

miscui vobis (Proe. LX, 7): bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum (Math. XXVI, 28). Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem (I Cor. XI, 25); quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem libetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (Ibid., 26).

Luceat lux vestra coram hominibus (Math. V, 16). Estote loco meo (I Mac. XVI, 5). Di estis et filii Execreist omnes (Ps. LXXXI, 6). Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (Math. X, 20). Dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei (Luc. X, 9). Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos (I Cor. V, 20). Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi (Math. XXVIII, 20). Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit (Id., X, 40). Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me (Luc. X, 16).

II PUNCTUM. — *Sacerdos expendit humiliter tantam in se dignitatem.*

SUMMARIUM. — *Sacerdos invitavit alios sacerdotes et populum ad benedicendum Deo pro tanto beneficio, quia pro angelis afficitur homo: unde se ipsum et suscipit et humiliat.*

Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate et superexaltate eum in secula (Dan. III, 84). Qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (Apo. I, 5): et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo: ipsi gloria et imperium in secula seculorum. (Ibid., 6): Amen Benedicite servi Domini Domino: (Dan. III, 85): laudate et superexaltate eum in secula, qui dedit potestatem talem hominibus (Math. IX, 8): cui enim dixit aliquando angelorum (Heb. I, 5): Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis (Math. XVI, 19)? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui capiunt hereditatem salutis (Hebr. I, 14)? Habemus altare, de quo edere non habent potestatem (Id., XIII, 10)

Vide ministerium quod accepisti a Domino (Col. IV, 17).

Tu es sacerdos (Ps. CIX, 4). Sacerdos Dei altissimi (Gen. XIV, 18). Ex genere christorum sacerdotum (II Mach. I, 10). Angelus Domini exercituum (Mal. II, 7). Homo Dei (I Tim. VI, 11). Protector salvationum Christi (Ps. XXVII, 8). Assimilatus autem filio Dei (Hebr. VII, 5), et ejus quae in futuro revelanda est, gloriae communicator (I Petr. V, 1). Sic pulchra ante ipsum non fuere talia usque ad originem (Eccl. XLV, 15).

Vide ministerium quod accepisti a Domino.

A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum (Jer. I, 6), vir pollutus labiis (Isai. VI, 5), nihil quidem habens dignum sacerdotio (II Mach. IV, 25). Quis ego sum, ante quae vita mea (I Reg. XXIII, 18).

Vide ministerium quod accepisti a Domino. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat (Ps. CXII, 5), et humilia respicit in caelo et in terra (Ibid., 6)? Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem (Ibid., 7), ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui (Ibid., 8).

Factum est illi testamentum aeternum, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine ejus (Eccl. XLV, 19). Ipsum elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo (Ibid., 20) et dedit illi in praecipis suis potestatem, in testamentis iudiciorum, docere Jacob testimoniam, et in lege sua lucem dare Israel (Ibid., 21).

Quis ego sum, Domine Deus, ut prestares mihi talia (I Par. XVII, 16)?

Quid enim sum, ut faciam rem istam magnam (IV Reg. VIII, 15)?

II MEDITATIO.

De disciplina sacerdotum legibus.

PRIMUM PUNCTUM. — *Christus docet sacerdotes. — Prima lex, fuga mundi.*

SUMMARIUM. — *Fuga seculi complectitur contemptum voluptatum, honorum et divitiarum.*

Audite hoc sacerdotes (Osee V, 1). Ego non sum de mundo (Joan. XVII, 14). De mundo non esis: sed ego elegi vos de mundo (Id., XV, 19): propter quod exite de medio eorum, et separamini (II Cor. VI, 17); recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere: munditiam qui fertis vasa Domini (Isai. LI, 11); nolite contaminare animas vestras, ne immundi sitis (Lev. XI, 45); ego enim sum Dominus Deus vester; sancti estote: quoniam ego sanctus sum (Ibid., 44); et sciat unusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione et honore (I Thess., IV, 4). O quam pulchra est casta generatio cum caritate (Sap. IV, 4); in perpetuum coronata triumphat incoquinatum certaminum praeium vincens (Ibid., 2).

Cavete a scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutare in foro (Marc. XII, 58), et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitis in caenis (Ibid., 59): quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum (Id., X, 42); non ita autem est in vobis: sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister (Ibid., 45): et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus (Ibid., 44); nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret (Ibid., 45).

Videte, et cavete ab omni avaritia (Luc. XII, 16), nolite facere domum patris mei, domum negotiationis (Joan. II, 16); gratis accepistis, gratis date (Math. X, 8); ne quis profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitivam suam (Heb. XII,

16). Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanea secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie (I Petr. V, 2): neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo (Ibid., 5); et cum apparuerit princeps pastorem, percipietis immarcescibilem gloriae coronam (Ibid., 4).

II PUNCTUM. — *Secunda lex, unio cum Christo.*

SUMMARIUM. — *Ex unione cum Christo oriuntur: fiducia in Deum, diffidentia sui, spes multi fructus, humilitas et amor Dei, vis orationis.*

Viri sancti eritis mihi (Exod. XXII, 51): oleum quippe sanctae unctionis est super vos (Lev. X, 7); eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus: et separavi vos a populis, ut essetis mihi (Id., XX, 26). Custodite sacerdotium vestrum (Num. XVIII, 7).

Ego sum vitis vera: et Pater meus agricola est (Joan. XV, 1); omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (Ibid., 2). Manete in me, et ego in vobis; sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis (Ibid., 4). Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere (Ibid., 5). Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et aresecit, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet (Ibid., 6).

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli (Ib., 8). Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea (Ib., 9). Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione (Ib., 10). Ut quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis (Ib., 16).

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est (Math. XVIII, 19); ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (Ib., 20). Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis (Joan. XVI, 26): ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis et credidistis quia ego a Deo exivi (Ib., 27).

III PUNCTUM. — *Tertia lex, vita apostolica.*

SUMMARIUM. — *Ad vitam apostolicam, haec sunt in primis necessaria, zelus animarum, scientia, audax et patientis libertas spiritus, mortificatio.*

Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendantur (Luc. XII, 49)? Entes in mundum universum predicatue Evangelium omni creature (Marc. XVI, 15). Ne igitur et succendite eum igni (II Reg. XIV, 50). Quoscumque inveneritis vocate ad nuptias (Math. XXII, 9); ut impleatur domus mea (Luc., XIV, 25). Quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite (Judith VIII, 21), ne et illi moriantur, et vos pereatis (Num. XVIII, 3). Sic

S. S. XXVII.

non est voluntas ante Patrem vestrum qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis istis (Math. XVIII, 14). Vosmetipsos in dilectione Dei servate (Jude 21); illos vero salvate, de igne rapientes (Ib., 25).

Nunquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadent (Luc. VI, 50; Math. V, 14)? Vos estis lux mundi (Luc. X, 10); habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum (Lev. X, 40): doceatisque filios Israel omnia legitima mea (Ib., 11): parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae est in vobis spe (I Petr., III, 15), sed cum modestia (Ib., 16). Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est (Mal. II, 7).

Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae (Math. X, 16). Cavete autem ab hominibus (Ib., 17): eritis odio omnibus propter nomen meum (Ib., 22). Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit (Joan. XV, 18). Ne ergo timueritis eos (Math. X, 26). Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, predicate super tecta (Ib., 27); et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (Ib., 28).

Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi ego sum, illic et minister meus erit (Joan. XII, 26). Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus (Math. X, 38). Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (Luc. XIV, 26). Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus (Ib., 27). Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit (Joan. XII, 24), ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum afferit (Ib., 25).

III MEDITATIO.

De sacerdotii profanatione.

PRIMUM PUNCTUM. — *Christus increpat praevicatorum sacerdotum.*

SUMMARIUM. — *Christus increpat sacerdotem salutis aliorum cupidum et sui immemorem, sacerdotem amicum novorum et haereticorum, sacerdotem male cantum in dirigendis mulieribus, sacerdotem vitiosum et hypocritam, sacerdotem modicam virtutis, sacerdotem tepidum et erroneae conscientiae, sacerdotem legis divinae reum et praecorum, sacerdotes omnes simul praevicatorum.*

Audisti post me vocem magnam tanquam tubae (Apo. I, 10) dicentis: Quod vides scribe (Ib., 11).

Angelo Ecclesiae..... scribe (Id., II, 1). Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos (Ib., 2): et non defecisti (Ib., 3): sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti (Ib., 4): memor esto itaque unde

(Huic.)

exideris, et age penitentiam, et prima opera fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris (Apoc. II, 5).

Et angelo Ecclesie (Ib., 12)..... Tenes nomen meum, et non negasti fidem meam (Ib., 15). Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balam (Ib., 14), doctrinam nicolaitarum (Ib., 15). Penitentiam ago: si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei (Ib., 16).

Et angelo (Ib., 18).... Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam (Ib., 19). Sed habeo adversus te pauca: quia permisisti mulierem Jezabel, quae se dicit prophetem, docere, et seducere servos meos (Ib., 20).

Et angelo Ecclesie.... Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es (Id., III, 4). Esto vigilans, et confirma cetera quae moritura erant: non enim invenio opera tua plena coram Deo meo (Ib., 2). In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et penitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te (Ib., 3).

Et angelo Ecclesie (Ib., 7).... Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum (Ib., 8), ergo servabo te ab horum tentationibus (Ib., 10). Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam (Ib., 11).

Et angelo Ecclesie (Ib., 14).... Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus (Ib., 15): sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo (Ib., 16). Quia dicis, quod dives sum, et locupletatus, et nullus ego: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus (Ib., 17). Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ: et collyrio inunge oculos tuos ut videas (Ib., 18). Ego quos amo, arguo, et castigo. Emulare ergo, et penitentiam age (Ib., 19).

Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (Ps. XLIX, 16)? Tu vero odisti disciplinam: et projecisti sermones meos retrorsum (Ib., 17). Si videbas furem currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas (Ib., 18). Os tuum abundavit malitia: et lingua tua concinnabat dolos (Ib., 19). Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum (Ib., 20). Haec fecisti et tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te et statuum contra faciem tuam (Ib., 21). Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: ne quando rapiat, et non sit qui eripiat (Ib., 22). Sacrificium laudis honorificabit me: et illie iter, quo ostendam illi salutem Dei (Ib., 23). Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis: quoniam non posuistis super cor (Mat.

II, 2). Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum sterces solennitatum vestrarum (Ib., 5). Et sciatis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi (Ib., 4). Pactum meum fuit cum eo vita et pax: et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat (Ib., 5). Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace et in equitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate (Ib., 6). Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est (Ib., 7). Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum (Ib., 8). Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas (Ib., 9).

II PUNCTUM. — *Prævaricator sacerdos miserum vitæ suæ statum expendit.*

SUMMARUM. — *Sacerdos seipsum in multis reum agnoscit et accusat coram Deo. Obstupescit præ pudore, comparans præsentem statum cum statu præterito. Cogitat de conversione; sed ab omni parte tenet et timet ejus difficultatem maximam; se tamen excitat ad fiduciam in divinam misericordiam.*

Ego vir videns paupertatem meam (Thr. III, 1), nihil quidem habens dignum sacerdotio (II Mac. IV, 25), homo apostata, vir inutilis (Prov. VI, 12), diligens hoc seculum (II Tim. IV, 9), reversus ad vomitum (II Pet. II, 22), reus corporis et sanguinis Domini (I Cor. XI, 27). Pene fui in omni malo, in medio Ecclesie (Prov. V, 14).

Inveterate dierum malorum (Dan., XIII, 52), cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto (Act. V, 3), violare sancta, et polluere tabernaculum (Judith. IX, 11)? Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum (Dan. XIII, 55). Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc (II Reg. XII, 14).

Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et prævaluit in vanitate sua (Ps. LI, 9): multiplicavit altaria ad peccandum: facta sunt ei ara in deliciis (Osee, VIII, 11). Pecunia tua sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri: Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc (Act. VIII, 20).

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (Thr. IV, 1)? Filii Sion inelyti, et amici auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea (Ib., 2)? Qui vesebantur voluptuose, interiorum in visis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt siccora (Ib., 5). Candidiores Nazaræ ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores chore antiquo, sapphiro pulchriores (Ib., 7). Denigrata est super carbones facies eorum (Ib., 8).

Hæc est sors tua (Isai. LVIII, 6).

Quomodo cecidisti de celo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram (Id., XIV, 12), qui dicebas

in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebro in monte testamenti (Isai. XIV, 13), similis ergo Altissimo (Ib., 14), dicebas. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum lacu (Ib., 15); qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: nunquid iste est vir (Ib., 16)? Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es (Ib., 10). Sicut populus, sic sacerdos (Id., XXIV, 3).

Quomodo cecidisti? (Ezech. XXVIII, 12)? Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore (Ib., 15), in deliciis paradisi fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum (Ib., 15); tu Cherub extensus, et protegens (Ib., 14), perfectus in visis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te (Ib., 15): perdidisti sapientiam tuam in decore tuo (Ib., 17): in multitudine iniquitatum tuarum poluisti sanctificationem tuam (Eccli., XLVII, 22); didisti maculam in gloria tua.

Quomodo cecidisti? (Job. IV, 3)? Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti (Ib., 4): vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua tremientia confortasti (Ib., 5): Nunc autem (Ib., 6) ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

Desistit tuus tante divitiæ (Apoc., XVIII, 17).

O plene omni dolo et omni fallacia: filii diaboli: inimice omnis justitiæ. Usquequo non desinis pervertere vias Domini rectas (Act. XIII, 10)? Nunquid qui cadit, non resurgit? et qui aversus est, non revertetur (Jer. VIII, 4)?

Vigilavit jugum iniquitatum mearum: iafirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere (Thr. I, 14). Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam (Ib., 16). Repulsa est a pace anima mea (Id., III, 17): abominabilis est fit in vita sua panis, cibus ante desiderabilis (Job. XXXIII, 20).

Dixi: Perit finis meus, et spes mea a Domino (Thr. III, 18). Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti (Hebr. VI, 4), gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque secuti venturi (Ib., 5), et prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi-himetipsos Filium Dei, et ostentui habentes (Ib., 6).

Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia (Id., X, 20). Quomodo potui comedere eam (Lev. X, 19)? Peccavi tradens sanguinem justum (Math. XXVII, 4), reus corporis et sanguinis Domini (II Cor. XI, 27): non semel, neque bis (IV Reg. VI, 10): non dico usque septies, sed usque septuagesies septies. Jam non relinquitur pro peccatis hostia (Math. XXVIII, 22).

Spera in Deo tuo semper (Osee XII, 6). Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum (Math. XVIII, 27).

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit

cæcos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem (Hebr. IV, 14); non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (Ibid., 15), adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (Ibid., 16).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Penitentis sacerdotis oratio, ad Jesum sacerdotem magnum.

Audi, Jesu sacerdos magne (Zach. III, 8), princeps pastorum (I Pet. V, 4), sacerdos in æternum (Ps. CLX, 4), ejus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus (Eph. III, 7).

Audi, Jesu sacerdos magne, sempervivens ad interpellandum pro nobis (Hebr. VII, 25). Audi: Domine, miserere mei (Ps. LXXXV, 16).

Sana animam meam, quia peccavi tibi (Ps. XL, 5). Peccavi tradens sanguinem justum (Math. XXVII, 4), reus corporis et sanguinis Domini (II Cor. XI, 27).

Sana animam meam, Domine, non sum dignus, ut intras sub lectum meum: sed tantum dic verbo et sanabitur (Math. VIII, 8).

Tantum dic verbo. Loquere, Domine, quia audit servus tuus (I Reg. III, 9). Dic animæ meæ: Salus tua ego sum (Ps. XXXIV, 5): et sanabitur.

Domine non sum dignus offerre sacrificium Deo, in censum, et bonum odorem, in memoriam placere pro populo (Eccli. XLV, 20). Sed tantum dic verbo: Fili, remittitur tibi peccata tua (Math. IX, 2).

Jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis (Luc. XV, 19). Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam (Ps. XXV, 9): custodi animam meam, quoniam sanctus sum (Ps. LXXXV, 2).

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso eruo me (Ps. XLII, 1); quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repluisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus (Ibid., 2)? Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. (Ibid., 5). Emitte et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui iustificat juventutem meam (Ibid., 4).

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutem vultus mei et Deus meus (Ibid., 5).

Domine, quando respicies? restitue animam meam (Ps. XXXIV, 17). Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te (Ibid., 18); narabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesie laudabo te (Ps. XXI, 23). Docebo iniquos vias tuas, et impij non te convertentur (Ps. L, 15). Quamdiu quidem ego sum, ministerium meum honorificabo (Rom. XI, 15). Ego libentissime impendam et superimpendam ipse pro animabus (II Cor. XII, 15).

Fiat, fiat (Ps. LXXXVIII, 55).

Fidelis sermo et omni acceptione dignus; quod

Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (I Tim. I, 15).

TRES MEDITATIONES DE RELIGIOSO STATU.

PRIMA MEDITATIO.

De felicitate religiosæ solitudinis.

PRIMUM PUNCTUM. — *Exultant ab ea omnia mala mundi.*

SUMMARIUM. — Religiosus considerat felicem hanc solitudinem a qua Deus removet sterilitatem animæ, ariditatem cordis, perturbationem cupiditatum, malorum hominum consortium, demonum tentationem, tristitiam et dolorem, terrenarum rerum cupiditatem, peccatum, errores et tenebras mundi, omnem salutis difficultatem; immunitatem vero tot malorum sibi gratulatur religiosus perfectus.

Letabitur deserta et iuvia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium (Isai. XXXV, 1).

Germinans germinabit, et exultabit letabunda et laudans. Gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri (Ibid., 2).

Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine (Ibid., 6): et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum (Ibid., 7).

In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror camelæ et junci.

Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via: ita ut stulti non errent per eam (Ibid., 8).

Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec inveniatur ibi: et ambulabunt qui liberati fuerint (Ibid., 9).

Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude: et lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et lætitiæ oblinebunt, et fugiet dolor et gemitus (Ibid., 10).

Non esurient, neque sument; et non percutiet eos zoster et sol: quia miserator eorum reget eos, et ut fontes aquarum potabit eos (Id., XLIX, 10).

Exulta et lauda, habitatio Sion (Id., XII, 6): non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos et portas tuas laudatio (Id., LX, 18).

Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lune illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam (Ibid., 19). Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur (Ibid., 2).

Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas (Id., XL, 4).

Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus data tua est (Math. XIX, 11).

Muli dicunt (Ps. IV, 6): Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cæcus prævaricatorum (Jer. IX, 2).

Beatus vir qui facit hæc, et filius hominis qui apprehendit istud (Ibid., 2)

Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine (Ps. LIV, 8).

Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddetur votum. Beatus quem elegisti et assumpsisti (Ps. LXIV, 2, 5).

II PUNCTUM. — Religiosa solitudo omnia vera bona continet.

SUMMARIUM. — Solitudinis hujus felicitas frequentatio et abundantia; sic olim Deo promittente, præsertim pro spiritualibus bonis, etiam usque ad delicatissimam consolationem.

Lauda, sterilis quæ non paris: decanta laudem, sicut Dominus (Isai. LIV, 1).

Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: omnibus his velut ornameto vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa: quia deserta tua, et solitudines tue, et terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis, filii sterilitatis tuæ: angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem (Id., XLIX, 18, 19, 20).

Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva: et istos quis enutrivit? Ego destituta et sola: et isti ubi erant? (Ibid., 21.)

Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum: et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum (Ibid., 22, 23).

Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiat multa plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam (Luc. XVIII, 29, 30).

Ambulabo inter vos, et ero Deus vestier, vosque eritis populus meus: ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicium vestrarum, ut incederetis erecti (Lev. XXVI, 12, 15).

Ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias (II Cor. VI, 18). Lætamine cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam: ut sugatis et

repleamini ab ubere consolationis ejus: ut maugeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus; quia ecce: Ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugatis? ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum: et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis (Isai. LXVI, 10-14).

III PUNCTUM. — Religiosa solitudo tota occupatur in sanctis exercitiis.

SUMMARIUM. — Omnis occupatio status religiosi refertur ad gloriam Dei. Habetur hic divinarum laudum celebratio, oratio, castitatis vita angelica, paupertatis, patientiæ, obedientiæ et charitatis felicia officia, omnium virtutum studium, ordo et pax sub regno justitiæ, perpetuum et admirabile cum Deo commercium, quod explicatur per colloquium Dei et animæ religiosæ.

Lauda, sterilis quæ non paris: decanta laudem, dicit Dominus (Isai. LIV, 1).

Populus tuus omnes justus, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis mee opus manus mee ad glorificandum (Id., LX, 21).

Gaudium et lætitia inveniatur in ea, gratiarum actio et vox laudis (Id. LI, 3). Resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus (Id. XLIV, 25).

Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis mee (Id., LVI, 7).

Neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in celo (Math. XXII, 30); tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (II Cor. VI, 10), et natio illorum obedientia et dilectio (Eccl. III, 1).

Abunt de virtute in virtutem (Ps. LXXXIII, 8), a claritate in claritatem (II Cor. III, 18): Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei: in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia et longanimitate cum gaudio (Col. I, 10, 11).

Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam (Isai. LX, 11). Lex mea in corde eorum (Id. LI, 7). Habitabit in solitudine iudicium, et justitia sedebit: et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum: et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta (Id. XXXII, 16, 17, 18).

Et sciet quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus (Ezech. XXXIV, 30); ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; et ipse dicit: Dominus Deus meus (Ezech. XIII, 9).

Dicam: Vacate et videte quoniam ego sum Deus (Ps. XLV, 11), beatus et solus potens (I Tim. VI, 15): in me gratia omnis vite et veritatis, in me omnis spes vite et virtutis (Eccl. XXIV, 25), et deliciæ mee esse cum filiis hominum (Prov. VIII, 51).

Et ipse dicit: Quam bonus Israel Deus his qui re-

cto sunt corde! Mihi autem adhærere Deo bonum est (Ps. LXXII, 1, 28); non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec lædium convicius illius, sed et lætitiæ et gaudium (Sap. VIII, 16).

Dicam: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus (Ps. XXXIII, 9).

Et ipse dicit: Quam bonus et suavis est, Domine spiritus tuus in omnibus! (Sap. XII, 4.)

Dicam: Populus meus es. Beatus es tu, Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui et gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis (Deut. XXXIII, 29).

Et ipse dicit: Dominus Deus meus. Quis similis tu in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum (Exod. XV, 11, 15).

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Beati qui habitant in domo tua, Domine; quia melior est dies una in atris tuis super millia (Ps. LXXXIII, 2, 3, 5, 11).

II MEDITATIO.

De legibus religiosæ solitudinis.

PRIMUM PUNCTUM. — Prima lex. Fuga seculi ejusque commercii lotius.

SUMMARIUM. — Perfectus religiosus est qui nec seculi sordibus inquinatur, nec ejus negotiis temporariis implicatur, nec etiam spiritualia nisi cum magna cautela tractat.

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: immaculatum se custodire ab hoc seculo (Jac. I, 27); si enim refugientes concupiscentias mundi, in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato; contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volubro luti (II Petr. II, 20-22).

Dicit Dominus (Jer. II, 12, 18): Et nunc quid tibi vis in Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Omnis qui bibit ex aqua hæc, sitiet iterum: qui autem liberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (Joan. IV, 15): sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (Ibid., 14).

Labora sicut bonus miles Christi Jesu (II Tim. II, 5). Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat, cui se probavit (Ibid., 4). Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit (Ibid., 5). Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quero hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (Gal. I, 10)